Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

& notas nos etiam si non cognoscunt a nobis. Sed certe si ea dicere uelimus non cognata non possumus. Nam & si verba non so[illegible]nent quia in corde suo dicunt utique cognata. Unde illud est in libro [illegible] sapie. Dixerunt apud se cogitantes non recte. Exposuit enim quid sit dixerunt apud se cum addidit cogitantes. Huic simile est in euangelio quod quidam secum audissent a domino dictum paralitico confide fili remittuntur tibi peccata tua. dixerunt intra se hic blasphemat. Quid est enim dixerunt intra se non cogitando. Denique sequitur. Et cum uidisset ihesus cogitationes eorum dixit. Ut quid cogitatis mala in cordibus uestris. Sic matheus. Lucas autem hoc idem ita narrat. Ceperunt cogitare secum pharisei dicentes. Quis est hic qui loquitur blasphemias. Quis potest dimittere peccata nisi solus deus. Et cognouit autem ihesus cogitationes eorum. respondens dixit ad illos. Quid cogitatis in cordibus uestris. Quale est in libro sapiencie dixerunt cogitantes. tale hic est cogitauerunt dicentes. & illic enim & hic ostendunt intra se atque in corde suo dicere idest cogitando dicere. Dixerunt quippe intra se & dictum est eis quid cogitatis. & de illo diuite cuius uberes fructus ager adtulit. ait ipse dominus. & cogitabat intra se dicens. Quid ergo cogitationes locutiones sunt cordis. Ubi & os esse dominus ostendit cum ait. Non quod intrat in os coinquinat hominem sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem. Una sententia duo quidam hominis ora complexa est unum corporis alterum cordis. Nam utique unum illi hominem putauerunt inquinari in os intrat corporis. Unum autem dominus dixit inquinari hominem de cordis ore procedit. Ita quippe exposuit ipse quod dixerat. Nam paulo post de hac re disceptis suis adhuc & uos inquit sine intellectu estis. Non intelligitis quia omne quod in os intrat in uentrem uadit & in secessum emittitur. Hic certe apertissime demonstratur os corporis. At in eo quod sequitur os cordis ostendens. Quia autem procedit inquit de ore de corde exeunt & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes male & cetera. Quid hac

Nota quod ipsum cogitatio est locutio cordis quia locutio fit de bono thesauro cordis signum vero expressio est verbum vocis

Nota